exclamaverunt Accaronitae dicen-
tes: Adduxerunt ad nos archam
dei Israhel ut interficiat nos et populum
nostrum. Miserunt itaque et congrega-
verunt omnes satrapas Philisti-
norum. Qui dixerunt: Dimittite ar-
cham dei Israhel et revertatur in locum
suum: et non interficiat nos cum populo
nostro. Fiebat enim pavor mortis in
singulis urbibus et gravissima val-
de manus domini. Viri quoque qui
mortui non fuerant percutiebantur
in secretiori parte natium. Et ascen-
debat ululatus uniuscuiusque civitatis
in caelum. Fuit itaque archa domini
in regione Philisteorum septem
mensibus. Et vocaverunt Philistim
sacerdotes et divinos dicentes: Quid
faciemus de archa dei? Indicate no-
bis quomodo remittemus eam in
locum suum. Qui dixerunt: Si
remittitis archam dei Israhel nolite
dimittere eam vacuam: sed quod debe-
tis reddite ei pro peccato et curabimi-
ni et scietis quare non recedat ma-
nus eius a vobis. Quid est quod pro de-
licto reddere debeamus ei? Respon-
deruntque illi: Iuxta numerum

provinciarum Philisthim quinque
anos aureos facietis et quinque mu-
res aureos: quia plaga una fuit
omnibus vobis et satrapis vestris. Fa-
cietisque similitudinem anorum vestrorum et
similitudinem murium qui demoliti
sunt terram. Et dabitis deo Israhel gloriam
si forte relevet manum suam a
vobis et a diis vestris et a terra vestra.
Quare gravatis corda vestra sicut gra-
vavit Aegyptus et Pharao cor suum?
Nonne postquam percussus est tunc
dimisit eos et abierunt? Nunc ergo
arripite et facite novum plaustrum
unum: et duas vaccas fetas
quibus non est impositum iugum iun-
gite plaustro: et recludite vitulos
earum domi. Tolletisque archam do-
mini et ponetis in plaustrum
et vasa aurea quae exsolvistis ei
pro delicto ponetis in capsellam
ad latus eius et dimittite eam
ut vadat. Et aspicietis et siqui-
dem per viam finium suorum ascen-
derit contra Bethsames: ipse fe-
cit nobis malum hoc grande. Sin
autem minime sciemus quia ne-
quaquam manus eius tetigit nos.

sed casu accidit. Fecerunt ergo illi hoc modo.
et tollentes duas vaccas que lacta-
bant vitulos iunxerunt ad plau-
strum: vitulosque earum concluse-
runt domi. Et posuerunt archam
dei super plaustrum: et capsellam que
habebat mures aureos: et similitu-
dinem anorum. Ibant autem in
directum vacce per viam que ducit
bethsamis. et itinere uno gradie-
bantur pergentes et mugientes: et non
declinabant neque ad dexteram neque
ad sinistram: sed et satrape philiste-
norum sequebantur usque ad termi-
nos bethsames. Porro bethsamite
metebant triticum in valle: et elevan-
tes oculos suos viderunt archam
dei. et gavisi sunt cum vidissent. Et
plaustrum venit in agrum iosue
bethsamite. et stetit ibi. Erat autem
ibi lapis magnus: et conciderunt
ligna plaustri. vaccasque imposue-
runt super ea holocaustum domino. Le-
vite autem deposuerunt archam dei
et capsellam que erat iuxta eam. in
qua erant vasa aurea: et posuerunt
super lapidem grandem. Viri autem
bethsamite obtulerunt holocausta.

et immolaverunt victimas in die
illa domino. et quinque satrape phili-
stinorum viderunt et reversi sunt
in accharon in die illa. Isti sunt autem
ani aurei quos reddiderunt phili-
stiim pro delicto domino. Azotus
unum. Gaza unum. Accharon unum. Geth unum
et mures aureos secundum numerum Ascalon unum
urbium philistiim quinque provin-
ciarum. ab urbe murata usque ad
villam que erat absque muro. et
usque ad abel magnum super quem
posuerunt archam domini que
erat usque in illam diem in agro iosue
Percussit autem de viris bethsamitibus
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] plebis
[illegible]
plebem plaga [illegible]
[illegible] bethsamite. Quis poterit [illegible]
re in conspectu domini dei sancti huius?
[illegible] nuntios ad habitatores
Cariathiarim dicentes. Reduxerunt
philistiim archam. Descendite et
reducite eam ad vos. [illegible] ergo
viri Cariathiarim et reduxerunt